



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 9. in heros austeros, & servos pigros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



PHILIPPICA IX.

In Heros Austeros, & Servos pigros.

DOMINICAM. POST EPIPHANIAM.

Non inveni tantam fidem in Israël. Matt. 8. v. 10.

§. I.
Cur cen-
turio tan-
topere
commen-
detur.



Ur tantâ benignitate ab humanissimo homine DEO excipitur Centurio, laudibusque supra universum Israël efferatur, causam dat Origenes homil. 5. in divers. quia primus fuit, qui pro servo oraret: *multi illo tempore pro diversis rogabant infirmantibus, nullus tamen pro servo nisi iste solus, & hoc ei ad augmentum beatitudinis & coronam gloria erat.* Sicut se homo habet in subditos, ita se Deus erga hominem gerit; benignus erat Centurio, ideoque benignum expertus est IESUM. Monet proinde D. Ambrosius ep. 23. *Nemo fraudet servum jure suo; quia & nos servi sumus Dei nostri.* Multam centurionis benignitatem ex verbis pauculis deprehendimus: *Puer meus jacet*; meus dico (inquit Chryfologus serm. 15.) quia jacet, si tuus esset, non jaceret: Servi tui stant ps. 93. v. 2. Adscribit præterea Centurio sibi ipsi infelicitatem servuli: *ecce compassio, quod morbus est meus*: inquit Hugo. & quamvis plurimos haberet servos, unicum tamen ita observat sicut omnes, & quasi alium non haberet, ut adnotat Basilius orat. 19. præterea domi jacere dicit, *ne familiaris infirmitas publice & dolori sit & pudori*, ait iterum Chryfologus serm. 15. ex

qua charitate centurionis occasionem desumpsi reprehendendi hodie austeros nostros Dominos, quam nec famulis parcam; parca tamen utrisque.

Sunt inter Catholicos Domini gentilibus, Romanis & Babylonijs multo deteriores. solebant Romani in saturnalibus ministrare servis, eoque pacto agnoscere, esse etiam se homines sub potestate constitutos, & facile è dominatu in servorum conditionem posse dejecti. Babylonij per integros quinque dies imperium concedebant servis, festumque *Sacea* vocabant, quo famulorum officium ab heris exercebatur, quin & servorum non nemini stola imponebatur regia, ut meminissent servi, si Fortuna volet fieri de mancipio Regem, de Rege mancipium. Jam assequor, quid Doctor gentium velit, cum 1. Tim. 5. v. 8. scripsit: *Si quis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior*; cum enim infideles Babylonij atque Romani quotannis famulis suis inserviverint, an non fideliores Dominis Christianis gentiles? Habent Reges pariter ac subditi, principes & rustici, Domini & servi eundem in cœlis Patrem ac judicem, eundem Creatorem ac Redemptorem, eundem præmiatorem ac vindicem: *quoniam ipsorum & ve-*

§. 2.
Multi
Christiani
Domini
gentilibus
peiores.

Et vester Dominus est in caelis Eph. 6. v. 9. coram quo comparebit Dominus & famulus, eritque longè melior conditio famuli præ Domino, quia de paucioribus rationem est redditurus, pro omnibus tibi subiectis, qui in domo tua sunt, rationem Deo reddes: ait Augustinus epistolâ ad Comitem. Dignus est encomio hodiernus Centurio, qui famulum suum habuit pro filio; dignus est vituperio ille herus, qui famulos suos, non ut homines, sed canes imò canibus pejùs habet, atque his faciliùs bolum panis aut offam carnis obijcit, quàm famulis suis diurnum faveat dimensum. audiret is utinam & exequeretur ethnici Senecæ doctrinam ep. 47. *cogita, quem servum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cælo, æquè spirare, æquè vivere, æquè mori. Nam tu, illum Ingenuum videre potes, ille te servum.* Si cæci non essent plerique Domini, respicerent in servis suis Filium hominis, qui venit non ministrari, sed ministrare, formam servi accipiens; respicerent Angelos, qui sunt administratorij spiritus in ministerium missi eorum, quos illi pro floccis habent, respicerent Ancillam Domini MARIAM & sanctos sanctasque, quorum nomina in baptismo accepere servi, ab iisdemque foveantur, & clementissimis oculis respiciuntur. Comædiam omnes ludimus in hac vitæ scena, non quaeritur qualem personam, sed quomodo agas, in fine laus erit unicuique à Deo & recipiet unusquisque prouti sese gessit, sive bonum sive malum. Latruculorum lusus in hac vita luditur, in quo rusticus aliquando regem capit ac reginam, at ubi finitus lusus fuerit, omnes in eundem æqualiter facculum coget mors. Negotiationem exercere

jubemur, cui multum datum fuerit, multum repetetur ab eo. *Pro omnibus tibi subditis, qui in domo tua sunt, rationem Deo reddes.*

Similes mihi videntur plurimi nostratium Dominorum austerò illihero, de quo 1. Reg. 30. legere est. Indagans David prædones seu latruculos incidit in miserabile quodpiam mancipium, quod lupis ac corvis in escam abjecerat herus, jamque die tertiâ nec panem degustarat nec aquam. quaerit proinde mansuetissimus David, quid esset hominis? & quomodo in tantam redactus calamitatem? cui famulus; *puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitiæ; dereliquit autem me Dominus meus, quia egrotare cepi nudius tertius.* barbarum hoc erat facinus & Amalecitiâ sive tyranno dignum (Amalec enim idem quod *lambens sanguinem* significat) & genium eorum adumbrat Dominorum, qui ubi ultimam sanguinis guttam exfluxerint mediastinis suis, vermibus & putredini eosdem obijciunt, nec illud Centurionis, repetunt: *puer meus, ancilla mea jacet;* sed transeunt; aspiciunt, audiunt, nec moventur immisericordes ex cordesque heri & heræ, quibus prohi quàm malè erit in die novissimo! Erit omnino sicut huic Amalecitiæ, qui servulum Ægyptium destituerat; ut enim querelas pueri humanissimus David audit, locum vitâ intellexit, ubi Dominus moraretur, epularetur, prædas partiretur; quem mox infecutus assecutusque sancto plenus furore interemit, & comites ejus vel fugavit vel trucidavit, prædâ omni in suam redactâ potestatem. Sentient & isti feritatis suæ pœnas eò graviores, quò grâdior est culpa, cum anima quàm corpus deferitur ac perire finitur, anima inquam Christi sanguine re-

§ 3.
Gravi
pœna mul-
tantur im-
misericor-
des in ser-
vos.

dempta, signaculo Spiritus Sancti signata, Angelorum curae commissa, Dominico corpore faginata, Sacerdotum communioni inferta, aeternis delicijs deputata, quae tamen plerumque perit Dominorum Dominarumque fociam, scandalo, & diabolicam perversitate. Non arguunt delinquentes, non impediunt peccantes, non excitant negligentes; parvam corporis, nullam poenae animae curam habent. cedat & haec & illa in praedam corvis tartareis, pereat, ardeat, torqueatur aeternum, nihil jam pensatur a Dominis & Dominabus, melius dixerim ab Amalecitis maledictis, a Pharaonibus novis, a crocodilis nefandis. De Amalecita tyranno jam dixi, repetoque nulla inulta manet injuria, quam Domini ac Dominae famulis famulabusque inferunt, horum Deum enim clamor caelos penetrat, vindictam Domini Sabaoth provocat, Spiritum Sanctum amaricat, Christum in iudicium excitat, beatos omnes ad gladios ancipites inflammat. Juravit Dominus, & non poenitebit eum, quia nec spatium poenitentiae, nec spem misericordiae indulget immisericordibus hujusmodi potestatibus. *potentes potenter!*

S. 4.
Immites
Domini
fames sunt
Pharaoni
& croco-
dilo.

Pharao servos suos laboribus attrivit, & pro praemio flagellis improbe multavit, ideoque in profundo maris rubri interit. Pharaonem aemulantur, qui curam domesticorum non habent, laboribus atterunt corpora, verbis imo & verberibus exulcerant animos, de animarum salute nulla cura, de aeterna Ecclesia, frequentanda synaxi, audiendo DEI Verbo non tantum cura nulla, sed in contrarium accuratissime invigilant, ne Divinis accumbere possint epulis, & pabulo refici caelesti. O Pharaones! in profundum vobiscum! Crocodi-

lus, marina bellua regulos seu trochilos adhibet, qui dentes ejus pungent: carent enim ipsi lingua ad hoc officium necessaria, pro quo fideliter peracto sufficere debent regulis foetidae ciborum reliquiae dentibus crocodili inhaerentes & impunitas vitae, sed en ut natura hanc ulciscatur injuriam! cum enim per purgatis dentibus & abigitur trochilus, ecce tibi ichneumon seu mus Indicus aut mus Pharaonis dictus succedit, in fauces insilit, ventrem petit, intestina corrodit, grandem belluam occidit. Quid habetis o boni famuli & famulae prodiurnis nocturnisque obsequijs, quam foetidas ciborum reliquias? quale solatium post omnia impensa obsequia? si verberibus abstineant aut verbis, quae verberibus quandoque duriora sunt, in beatis accensemini! at aderit propediem pro Ichneumone mors & vermes, soluturi Dominis vestris stipendium, quod vobis negatum est, & barbaram praesidium vestrorum inhumanitatem pari aere remuneraturi.

Non inveni tantam fidem in Israel dicebat in laudem hodierni centurionis Iesus, ego in vituperium nostratum plurimorum Dominorum exclamare cogor: *non inveni tantam perfidiam in gentibus.* non ita saevierunt in subditos ethnici sicut debacchantur Christiani; ideoque dico vobis, quod multi ab oriente & occidente venient & condemnabunt generationem hanc, filij autem regni, quia male familiam suam rexerunt, ejicientur in tenebras exteriores, quia & ipsi famulos & famulas ejecerunt in tenebras & carceres caecos: ibi erit fletus pro risu & cachinnis, quibus familiae illuserunt, & stridor dentium pro theoninis dentibus, quos pauperibus subditis infixerunt, ibi omne malorum genus, quia ma-

S. 5.
Imprecatio.

lis

lis omnibus commissam sibi familiam affecterunt. Ite, & sicut fecistis fiat vobis.

2. Pars
Concionis
§. I.
Famulo-
rū mores
pertrin-
guntur.

Laudatum à Christo audivimus Dominum, minimè verò famulum, de quo Centurio dixerat: *puer meus jacet in domo paralyticus* & *malè torquetur*: nimirum si jacet, & quidem paralyticus, & torquetur non bene, omnino indignus est laude; tales sunt plerique ævi nostri & famuli & famulæ; jacent & malè torquentur. Cùm manè eundem ad sacrificium Missæ, jacent & ronchos trahunt; cùm laborandum in stabulo, jacent in foeno & stramine; cùm accumbendum mensæ jacent innixi cubitis, cùm laborandum in culina, jacent in foco; cùm metendum in æstate gramen, jacet in prato; cùm evellenda in agris aut hortis zizania, jacent in molli cespite; de nocte cùm jacere possent non jacent ubi & quomodo jacendum esset, sed ita jacent ut medium habeant Asmodæum, mereanturque æternis jacere in tormentis & ardoribus gehennæ. Quid de paralyti dicam? cùm exequenda heri vel heræ imperia, vel adeunda ecclesia, paralyti in pedibus! cùm operæ adhibenda manus, paralyti in manibus! cùm ferenda humeris onera, paralyti in scapulis! cùm reddendæ rationes & responsa, paralyti in lingua! cùm observandi nutus heri vel heræ (*oculi enim servorum in manibus Dominorum* & *oculi ancillæ in manibus Domine* ps. 122. v. 2.) paralyti in oculis; deniq; cùm quid imponitur, quod non placet eorū genio, paralyti in corpore toto. unde sequitur, quòd malè torqueantur. malè torqueri est à dæmone vexari. à multis dæmonijs vexantur infideles, negligentes, impudètes famuli & famulæ diebus laborū malè torquet eos Spiritus acediæ, illud inquam dæmo-

nium, quod obsessos in sepulchri cogit corruptionem, tempore refectiois torquet eos dæmonium paradisiacum; diebus dominicis & festis ante meridiem torquet eos Spiritus superbiæ seu Lucifer, à meridie Asmodæus, seu Spiritus luxuriæ, à quo ad saltus & choreas impelluntur. Ira nos & legio dæmoniorum integra malè torquet exagitatque, cùm aliquod verbum duriusculum audiendum est. torquet eos Mammona cùm vident cistas & armaria minùs custodita. Denique à Belzebug exagitantur cùm diligentioribus congiarum confertur &c. Inclama illis Paule, & tuum illud repete Eph. 6. v. 5. *servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore*, non cum irrisione & contemptu, *in simplicitate cordis*, non in fastu & astu cordis & oris, *sicut Christo*, à quo omnis potestas est; *non ad oculum servientes quasi hominibus placentes*, nè tantum laborare dicamini, quàm diu herus videt, quo dorsum vertente vos otia-ri, nugari, fabulari delectet, sed oculū Christi observantes, à quo, ut loquitur hom. 22. in hanc epistol. Chrysostomus, observantur negotia vestra & otia, ut præmium conferat vel pœnam, *scientes quoniam unusquisque quod fecerit bonum hoc recipiet à Domino*. Vobis dictum est, quod à Salvatore IESU pronunciatum legimus: *ego veniam & curabo eum*. Veniet Dominus, quâ horâ non putatis & severissimas rationes impensarum virium, temporis, gratiæque exiget. Audietis voce terribili fulminantem: ego propter vos in laboribus à juventute mea, cur non & vos in mei gratiam? ego innocens maledictionem Adæ propter vos pertuli, & pane meo in sudore vultus mei vescabar, cur non & vos peccatores? ego propter vos servus, & quidem vilissimus servus,

Matth. II.
v. 28.

& tanquam servus pessimus habitus sum, cur vos fervire piguit puditque, ut nunc similes mihi in humilitate assimilari deinde mereremini in gloria? ego meam vobis gratiam, solatium, presentiam spondeam, & invitavi: *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* cur laborare & onerari renuistis, ut ad refectioem meam mecum pertingeretis? ecce quia laborare noluitis in terris, cum ad laborem creati essetis, laborabitis in æternum, laborabitis in gemitu vero, laborabitis sub iugo & onere dæmonis, quod acerbum & importabile est. Ego veniam per flagella, morbos, pestem, mortem; ego veniam vobiscum in iudicium inque vestram condemnationem;

ego veniam ad ridendum & subsannandum in interitu vestro, cum male vobis fuerit; veniam & curabo non in vitam sed mortem, non in salutem, sed damnationem, non in solutionem, sed confusionem, desolationem, exterminium sempiternum.

Habent jam Domini & famuli, heræ & ancillæ unde se dirigant, corrigantque, & cum tempus adhuc suppetit, suam operentur salutem ac gloriam; ut fidem ac charitatem in iisdem IESUS inveniat & laudem ac beatitatem pro voto suo impertiat! Vade nunc domum tuam ò here, & sicut vis fiat tibi; vade & tu famule & opus tuum imple, ut æternum fiat tibi sicut vis; faneturque æger animus, & pigra manus tua in hac hora.

S. 7.
Brevis ad
utrosque
apostro-
phe.

PHILIPPICA X.

In Timidos.

DOMINICA IV.

POST EPIPHANIAM.

Quid timidi estis modicæ fidei Matth. 8: v. 26.

S. I.
Ex variis
titulis
non timendum.

Apientissimè Aristoteles pronunciat I. de mundo: *hoc in mundo est Deus quod in navi gubernator, quod in curru auriga, in exercitu Imperator.* Imperator iste invictus est, nemo sub eo dubitet de victoria; auriga ille expertissimus est, nemo casum & everisionem

vereatur; gubernator ille fortunatissimus est, cui militat æquor, & conjurati veniunt ad prælia venti, nemo metuat naufragium. Cur ergo trepidatis Apostoli præsentem Iesu, qui navis vestræ gubernator, & malus, & carbasus, & remus, & stella, & patronus est? si timido nautæ Julius Cæsar inclamavit: *Cæsarem & fortunam ejus vehis, quid vereris?* veriùs occinere vobis licet: *rem*